



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

380. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eadem re. *Ex Concilio Adrisphach.*

CCCLXXVIII. Festos dies celebra-
re sancimus, id est, diem Paschæ, simili-
ter feria secunda, tertia, quarta, & quinta.
Ante Missam licentia sit arandi & seminandi,
hortum vel vineam excolendi, & sepem cir-
cumcludendi. Ab alio verò opere cessare de-
crevimus. Post Missam autem ab opere vaca-
re. Pentecosten similiter ut in Pascha. Sancti
Laurentij, Kal. Novemb. omnium sanctorum.
Similiter dedicationes Ecclesiarum. [*Vide
Concilium Moguntiacum celebratum anno 813.
cap. 36.*]

De non flectendo genu in diebus festis.

Ex Concilio Nicano.

CCCLXXIX. Quoniam sunt quidam
in die dominico genu flectentes, & in diebus
Pentecosten, ut omnia in diversis locis conso-
nanter observentur, placuit sancto Concilio
stantes Domino vota persolvere.

Concil. Nic.
c. 20.
Burchard. lib.
2. c. 88.

Unde suprâ.

CCCLXXX. Ut Presbyteri plebibus
adnuntient quòd in quadragesima & in jeju-
nio quatuor temporum tantummodo ad Mis-
sarum sollempnia adnuntiante Diacono genua
flectere debeant. In dominicis è contra diebus
vel ceteris festis à vespera usque in vesperam
non flectant genua, sed stantes incurvati orent.
Nec quisquam uno genu solo tenuis impresso
orare præsumat, sicut Judæi inridentes Domi-
num in ejus passione fecisse leguntur, sed utra-

Ephes. 3. que genua terræ figat. Ait enim Apostolus:
Flecto genua mea ad patrem Domini nostri Jesu Christi.

Ut turpia cantica plebibus prohibeantur.
Ex Concilio Arelatensi.

Concil. 3. Tolet. c. 13.

CCCLXXXI. Exterminanda omnino est inreligiosa consuetudo, quam vulgus per sanctorum sollempnitates agere consuevit, ut populi, qui debent officia divina adtendere, saltationibus & turpibus invigilent canticis, non solum sibi nocentes, sed & religiosorum officiis perstrepentes. Hoc etenim ut ab omni Hispania depellatur, sacerdotum & iudicum à sancto Concilio curæ committitur.

Ne super mortuorum cadaveribus carmina diabolica nocturnis horis cantentur.

Vnde supra.

Burchard. lib. 10 c. 34.

CCCLXXXII. Laici qui excubias funeris observant, cum timore & tremore & reverentia hoc faciant. Nullus ibi præsumat diabolica carmina cantare, non joca & saltationes facere, quæ pagani diabolo docente adinvenerunt. Quis enim nesciat diabolicum esse, & non solum à religione Christiana alienum, sed etiam humanæ naturæ esse contrarium, ibi cantari, lætari, inebriari, & cachinnis ora dissolvi, & omni pietate & affectu caritatis postposito, quasi de fraterna morte exultare, ubi luctus & planctus flebilibus vocibus debuerat resonare pro amissione cari fratris? Patres siquidem veteris ac novi testamenti mortes sanctorum virorum legimus multis

Vide lib. 6. Capitular. c. 193. 194. & Concil. Tolet. 3. c. 22.